


de vestirse las mugeres, no pretende obligarlas á ir sin aseo ni limpieza, ni con vestiduras cubiertas de remedios: solamente quiere moderar el exceso, y cercenar la superfluidad de sus adornos, encomendándolas en todo la sencillez y la modestia”



LAS SENTENCIAS DE LOS PADRES

CONTENIDOS EN ESTE TOMO V.

COMO SE HALLAN

EN LA LENGUA LATINA.

SENTENCIAS ESCOGIDAS. IIII

DE SAN GERONIMO

Correspondientes al Capítulo II. Artículo IV. I

- I. Affatim dives est, qui cum Christo pauper est. (*Ep. ad Heliod. 14.*)
- II. Facile rumpit hæc vincula amor Dei, & gehennæ timor. (*Ibidem.*)
- III. Erras, frater, erras, si putas unquam Christianum persecutionem non pati. Tunc maxime oppugnaris, si te oppugnari nescis. Adversarius noster, tanquam leo rugiens, circuit, quærens, quem devoret; & tu pacem putas? (*Ibidem.*)
- IV. Absit, ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claves regni coelorum habentes, quodammodo ante iudicii diem iudicant, qui sponsam Domini sobria castitate conservant. (*Ibidem.*)
- V. Si κλήρος græce, sors latinè appellatur; propterea

vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & ipse possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus: nihil extra Dominum habere potest; quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. (*Ep. ad Nepot. 52.*)

VI. Suspirat eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos. (*Ibidem.*)

VII. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere. (*Ibidem.*)

VIII. Consolutores potius nos in mœroribus suis, quam convivas in prosperis, noverint. Facile contemnitur Clericus, qui sæpe rogatus ad prandium, non recusat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. (*Ibidem.*)

IX. Prædicator continentiae, nuptias non conciliet. (*Ibidem.*)

X. Si scandalizat te oculus, pes, manus, projice eos: nulli parcas, ut soli parcas animam. crudelitas ista pietas est. (*Ep. ad Rust. 125.*)

XI. Nunquam de manu, & oculis recedat liber. Discatur Psalterium ad verbum, oratio sine intermissione, vigil sensus sit, nec vanis cogitationibus pateat. facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. (*Ibidem.*)

XII. Nequaquam considera, quid alii mali faciant, sed quid boni facere debeas. (*Ibidem.*)

XIII. Nudus, Christum nudum sequere; durum, grande, difficile; sed magna sunt premia. (*Ibidem.*)

XIV. Nutriatur filia in Monasterio; sit inter Virginum choros, & ut cætera taceam, certe te liberet servandi difficultate, & custodiæ periculo. (*Ad Latam Ep. 107.*)

XV. Quid facit in facie Christianæ purpurissus & cærsa fomenta libidinum, impudicæ mentis inditia? . . . Ornatus iste non Domini est, velamen istud antichristi est. Qua fiducia erigit ad cælum vultus, quos conditor non agnoscit? (*Ad Furiam ep. 54.*)

XVI. Falsus rumor cito opprimitur; & vita posterior judicat de priore. Fieri quidem non potest, ut absque morsu hominum vitæ hujus curricula quis pertranseat; malorumque solatium est bonos carpere, dum peccantium multitudinem putant culpam minui peccatorum. Sed tamen cito exundans flamma deficientibus nutrimentis paulatim emoritur. (*Ibid.*)

XVII. Statim ut libido titillaverit sensum, erumpamus in vocem: Dominus auxiliator meus. . . nolo sinas cogitationem crescere. Nihil in te Babylonicum adolescat. Dum parvus est hostis interfice: nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine. . . Filia Babyloniæ misera. . . Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram. Petra autem Christus est. (*Ad Eustochium ep. 22.*)

XVIII. Sint tibi quotidiana jejunia, & refectio satietatem fugiens. Nihil prodest, biduo, triduoque transmissio, vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate jejunium. (*Ibid.*)

XIX. Quid invides, mater, filia? Indignaris, quod noluit esse militis uxor, sed Regis? Grande tibi beneficium præstitit. Socrus Dei esse coepisti. (*Ibid.*)

XX. Ubi in pectore virginali sæcularium negotiorum cura æstuat; statim velum templi scinditur; sponsus consurgit iratus, & dicit: Relinquetur domus vestra deserta. (*Ibidem.*)

XXI. Nec satis religiosa velis videri, nec plus humilis, quam necesse sit, ne gloriam fugiendo quæras; plures enim paupertatis, misericordiae, atque jejunii arbitrò de-

clinantes, hoc ipso cupiunt placere, quod placere contem-
nunt, & mirum in modum laus dum vitatur, appetitur.
(*Ibid.*)

XXII. Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ
conveniunt Christiano. (*Ibid.*)

XXIII. Quamquam Apostolus orare nos semper jubeat,
& Sanctis etiam sit ipse somnus oratio, tamen divisas oran-
di horas debemus habere, ut si forte aliquo fuerimus opere
detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. (*Ibid.*)

XXIV. Nihil amantibus durum est, nullus difficilis
cupienti labor est. Respice quanta Jacob pro Rachel susti-
nuit. Servivit Jacob pro Rachel annis septem: & erant in
conspectu ejus dies pauci, quoniam amabat illam. Amemus
& nos Christum, ejusque quæramus amplexus, & facile vi-
debitur omne difficile: breviam putabimus universa, quæ lon-
ga sunt. (*Ibid.*)

XXV. Non solum effusio sanguinis in confessione repu-
tatur; sed devotæ quoque mentis servitus immaculata, quo-
tidianum martyrium est. (*Epist. ad Eustoch. 108.*)

XXVI. Aurum deponere incipientium est, non perfec-
torum; fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes. Seip-
sum offerre Deo, proprie Christianorum est, atque Aposto-
lorum. (*Epist. ad Lucin. 71.*)

XXVII. Illud te admonendum puto, traditiones Ec-
clesiasticas, præsertim quæ fidei non officiant, ita observan-
das, ut à majoribus traditæ sunt; nec aliorum consuetudinem
aliorum contrario more subverti. . . . unaquæque provincia
abundet in sensu suo, & præcepta majorum Leges Aposto-
licas arbitretur. (*Ibid.*)

XXVIII. Nos dolendi magis, qui quotidie stamus in
prælio, peccatorum vitiis sordidamur, accipimus vulnera,
& de otioso verbo redituri sumus rationem. (*Epist. 75. ad
Theod. de morte conjug.*)

XXIX. Ille, quem despiciamus, quem videre non pos-
sumus, ad cujus intuitum vomitus nobis erumpit, nostri si-
milis est; de eodem nobiscum formatus est luto, iisdem com-
pactus elementis: quidquid patitur, & nos pati possumus.
Vulnera ejus existimemus propria, & omnis animi in alteru-
trum duritia, clementi in nosmetipsos cogitatione frangetur.
(*Epist. 69. ad Ocean.*)

XXX. In amicis non res quæritur, sed voluntas; quia
alterum ab inimicis sæpe præbetur, alterum sola caritas tri-
buit. (*Ad Castr. ep. 68.*)

XXXI. Magna ira est, quando peccantibus non irasci-
tur Deus. Unde & in Ezechiel ad Jerusalem: Jam, inquit,
non irascar tibi, zelus meus recessit à te. Non erudit Pater,
nisi quem amat. . . . Medicus, si cessaverit curare, despe-
rat. (*Ibid.*)

XXXII. Nos leporem artis Rethoricæ contemntes,
& puerilis, atque plausibilis eloquii vetustatem ad Sancta-
rum Scripturarum gravitatem confugimus; ubi vera vulne-
rum medicina est, ubi dolorum certa remedia. (*Ad Jul.
ep. 118.*)

XXXIII. Difficile, imo impossibile est, ut & præ-
sentibus quis, & futuris fruatur bonis, ut de deliciis transeat
ad delicias. (*Ibid.*)

XXXIV. Quando conversus ingemueris, tunc salvus
eris: & scies ubi fueris: scire non possumus ægrotationis ma-
la, nisi cum fuerit sanitas consecuta. (*Ad Rust. Ep. 125.*)

XXXV. Si nubentibus etiam in carne tribulatio est,
dicente Apostolo: Tribulationem carnis habebunt hujusmo-
di; in qua sola videbantur habere delicias; quid erit re-
liquum propter quod nubant, cum & in spiritu, & in ani-
ma, & in ipsa carne tribulatio sit? (*Advers. Jovin.
Lib. 1.*)

XXXVI. Illa Virginitas hostia Christi est, cujus nec

mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit. (*Ibid.*)

XXXVII. Super Petrum fundatur Ecclesia; licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni Cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio. (*Ibidem.*)

XXXVIII. Semper Pseudoprophetæ dulcia pollicentur, & ad modicum placent. Amara est veritas, & qui eam prædicant, replentur amaritudine: in azymis enim sinceritatis, & veritatis Domini Pascha celebratur, & cum amaritudinibus comeditur. (*Ibid.*)

XXXIX. Si per coitum quod minus est impeditur, id est orare, quanto plus, quod majus est, id est corpus Christi prohibetur accipere? (*Epist. 48. ad Pammach.*)

XL. Probet se unusquisque, & sic ad corpus Christi accedat, non quod dilata communionis unus dies, aut biduum sanctiorem efficiat Christianum, ut quod hodie non merui, cras, vel perendie merear; sed quod dum doleo, me non communicasse corpori Christi, abstineam me paulisper ab uxoris amplexu, ut amoris conjugis amorem Christi præferam. (*Ibidem.*)

XLI. Durum est, quis hoc sæcularium sustinere potest? Qui potest sustinere, sustineat: qui non potest, ipse viderit. Nobis curæ est; non quid unusquisque possit, aut velit, sed quid Scripturæ præcipiant, dicere. (*Ibid.*)

XLII. Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicavere: Apostoli vel Virgines, vel post nuptias continentes: Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici. (*Ibid.*)

XLIII. Honoramus reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus, honoramus servos, ut honor ser-

vorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit. (*Ad Riparium epist. 109.*)

XLIV. Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti; quanto magis post coronas, victorias, & triumphos? Postquam cum Christo esse coeperint, minus valent? (*Advers. Vigilantium.*)

XLV. Cur, inquires, pergis ad eremum? Ut bella non patiar. . . respondebis, hoc non est pugnare, sed fugere. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. . . non vinco in eo, quod fugio; sed ideo fugio, ne vincar: nulla securitas est vicino serpente dormire. (*Ibid.*)

XLVI. An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptismatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? Etiam si Scripturæ autoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret: nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, autoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt. (*Adv. Lucif.*)

XLVII. Nolo in suspitione hæreseos quemquam esse patientem: ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, dissimulatio, conscientia judicetur, si taceat. (*Ad Pammach.*)

XLVIII. Si munera nostra absque pace offerre non possumus, quanto magis & corpus Christi accipere? (*Ep. 82. ad Theoph.*)

XLIX. Nec bonis adversariorum, si honestum quid habuerint, detrahendum est; nec amicorum laudanda sunt vitia; & unumquodque non personarum, sed rerum pondere judicandum est. (*Ad Pammach. ep. 84.*)

L. Quando sine nomine contra vitia scribitur, qui irascitur, accusator sui est. (*Apol. adv. Ruf.*)

LI. Non mihi sufficit, quod semel donavit, nisi sem-

per donaverit, Peto, ut accipiam, & cum accepero, rursus peto. Avarus sum ad accipienda beneficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo, quanto plus bibero, tanto plus sitio. (*Ad Ctesiph. adv. Pelag. ep. 133.*)

LII. Hæc hominibus sola perfectio, si imperfectos se esse noverint. (*Ibid.*)

LIII. Apud Christianos non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est. (*Ad Marcum ep. 17.*)

LIV. Vera illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola, & palparis adulatio, sed Dei timor, & divinarum Scripturarum studia conciliant. (*Ad Paul. ep. 53.*)

LV. Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. (*Ibid.*)

LVI. Pontificem oportet esse sine crimine, tantarumque virtutum, ut semper moretur in Sanctis, & paratus sit offerre pro populo, sequester Dei, & hominum, & carnes Agni sacro ore conficiens. (*Ep. 64. ad Fab.*)

LVII. Et coeperunt epulari: hoc convivium quotidie celebratur, quotidie Pater Filium recipit; semper Christus credentibus immolatur. (*Ep. 140. ad Cypr.*)

LVIII. Si plus habes, quam tibi ad victum, vestitumque necessarium sit, illud eroga, & in illo debtricem te esse noveris. (*Ad Hedib. ep. 120.*)

LIX. Nos audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis suis, esse corpus Domini Salvatoris, ipso dicente ad eos: accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus; ipse conviva, & convivium, ipse comedens, & qui comeditur. (*Quest. 2. ad Hedib. ep. 120.*)

LX. Quid facere debeo, ut suscipiatur jejunium meum? Frange esurienti panem tuum, non plures panes, ne de

paupertate causeris, sed unum panem; nec ipsum panem totum, sed partem panis, quam, si non jejunares, comesturus eras; ut jejunium tuum non sit lucrum marsupii, sed saturitas animæ. (*Lib. 16. in Isa. cap. 58.*)

LXI. Libera Dominus Jeremiam: non quo Propheta persecutionibus careat & angustiis, quippe cum legamus eum multa perpeßum, sed ut patiens omnia superet, nec cedat angustia. (*In Jerem. cap. 1.*)

LXII. Constitui te, ut evellas, & destruas... ut ædifices, & plantes: neque enim ædificari poterant bona, nisi destructa essent mala; nec plantari optima, nisi eradicarentur pessima. (*Ibid.*)

LXIII. Quotiescumque angustiis subjacemus, mala recipimus à Deo, & examinamur persecutionibus; ut quidquid in nobis adulterinæ materiæ est, tribulationum, & miserarium exuratur ardoribus: argentum enim Domini igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. (*Ibid. in cap. 9.*)

LXIV. Audiant, qui volunt esse principes populorum, quod non solum pro se, sed & pro commissis sibi gregibus reddituri sunt rationem in die judicii. (*Lib. 3. in cap. 12.*)

LXV. Ne putaret se populus alienum esse à culpa, si perversis acquiesceret Doctoribus; nolite, inquit, audire verba Prophetarum, qui vobis prophetizant mendacium, & decipiunt vos; par enim erit poena & magistro & discipulo. (*Lib. 4. in cap. 24.*)

LXVI. Veritas claudi, & ligari potest; vinci non potest: quæ & suorum paucitate contenta est, & multitudine hostium non terretur. (*Lib. 5. in Proem.*)

LXVII. Sed & cum clamavero, exclusit orationem meam. Omnipotens quid nobis profuturum esse valeat, sciens dissimulat exaudire dolentium vocem, ut augeat utilitatem, ut purgetur vita per poenam; & quietis tranquillitas, quia

hic inveniri non valet, alibi quærat. Sed hanc dispositionis gratiam nonnulli etiam fidelium ignorant. (*In Lament. Jerem. lib. 2. cap.*)

LXVIII. Quid in hoc tempore vulnera nostra miramini; qui si æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus, ut feriamur? (*Ibid.*)

LXIX. Sancta Ecclesia scit in passionibus crescere, atque inter opprobria honorabilem vitam tenere. Scit nec de adversis dejici, nec de prosperis gloriari; novit circa prospera mentem suam in dejectione sternere; novit contra adversa animum ad spem superni culminis exaltare. Scit bona sua misericordiæ Redemptoris; scit mala sua justitiæ retribuere Judicis; quod & bona illo largiente habeat, & mala illo permittente patiat. (*Ibid.*)

LXX. Levemus corda cum manibus ad Dominum: valde namque apud Dominum utraque hæc sibi necessario congruunt, ut & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. (*Ibid.*)

LXXI. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. Species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est; quia intueri non debet, quod non licet concupisci. (*Ibid.*)

LXXII. Causa ruinæ populi Sacerdotes mali. (*Lib. 2. cap. 4.*)

LXXIII. Recedite, inquit superbi Magistri, nolite in aliquo nobis communicare, insanabilia sunt vulnera vestra. . . talis loquela non illuminat cæcum, non sanat ægrotum, non curat infirmum, sed magis occidit, atque in desperationem periclitantem mittit. Boni etenim rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes, magis per humilitatis, & mansuetudinis lenimentum student peccantes ab erroris

laqueo eruere, quam per austeritatem in foveam perditionis nutantes propellere. (*Ibid.*)

LXXIV. Qui non intelligunt quid sibi prosit, & orant frequenter contraria, expedit eis, ut non exaudiantur à Domino. Unde & in oratione Dominica dicimus: Fiat voluntas tua; non voluntas nostra quæ errare consuevit, sed voluntas tua, quæ futura cognoscit. Magnæque interdum felicitatis est ad præsens misericordiam non mereri. (*Lib. 3. in Ezech. c. 8.*)

LXXV. Iræ Dei est ut perversus populus, & incredulus magis Pseudopphetas audiat, quam Prophetas. (*Lib. 4. in cap. 14.*)

LXXVI. Non debemus, si forsitan ob aliquod peccatum de congregatione fratrum, & de domo Dei ejicimur, reluctari. Sed æquo animo latam in nos ferre sententiam, & dicere cum Propheta: Iram Domini sustinebo, quoniam peccavi ei, donec justificet causam meam. (*Lib. 5. in cap. 17.*)

LXXVII. Putant quidam usuram tantum esse in pecunia. Quod prævidens Scriptura divina omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quam dedisti. Solent in agris frumenti, & milii, vini, & olei, cæterarumque specierum usuræ exigi, sive ut appellat sermo divinus, superabundantiæ, verbi gratia, ut hyemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est, amplius partem mediam. Qui justissimum se putaverit, quartam plus accipiet portionem: & solent argumentari, ac dicere; dedi unum modium, qui fecit decem modios. Nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem, & semis de meo habeat? Nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. Respondeat enim breviter foenerator misericors, utrum habenti dederit, an non habenti? Si habenti, utique dare non debuerat; sed dedit quasi non habenti. Ergo quare plus exigit quasi